



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 5. Quaedam dulcedo à Deo datur: & quo fine?

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

§. V.

Quædam dulcedo à Deo datur: & quo fine?

ALia est devotionis dulcedo suaviter mentem afficiens, quæ divinitus datur, ad præmium, ad consolationem, & ad excitationem. Ad præmium ut dum emeritis Dei servis nonnunquam post longam ariditatem, post acria carnis, mundi & diaboli debellata certamina, quædam futuræ beatitudinis præguftatio conceditur. Ad consolationem, ut dum militibus suis in hujus sæculi malis laborantibus & agonizantibus, quibus, ut amplius eos probaret *in camino humilia-* Eccl. 2.7.5.
tionis, nonnihil sese subtraxerat, iterum Deus exhibet amoris sui dulcedinem, ac modo solis expertis noto, dicit animæ eorum: *Salus tua ego sum.* Ad excitationem, ut dum in initiis melioris vitæ magnâ plerumque consolationis dulcedine unusquisque excipitur: ut scilicet divinæ gratiæ suavitate præguftatâ, citius pleniusque omnibus vitiis emoriatur, & Deo (qui est summum bonum) tenaciùs adhæreat. In hoc tamen, qui ejusmodi est, nonnunquam fallitur: *Quòd*, uti ait D. Gregorius, dum quibusdam donis gratiæ dulce-

dulcedine inchoationis excipitur, confirmationem accepisse se perfectionis arbitratur, & plenitudinis consummationem aestimat, quæ adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat. Vnde fit, ut dum subitâ tentationis procellâ tangitur, despectum se Deo & perditum suspicetur. Qui si inchoationi suæ non passim crederet, adhuc in prosperis positus mentem ad adversa præpararet: & vitiis venientibus postmodum tam firmus resisteret, quàm ea sagaciùs prævidisset. Sed id extrâ rem nostram.

§. VI.

Etiam adhuc malis ista dulcedinis gratia subinde à Deo conceditur.

*Spec. char.
cap. 11.*

ETiam à se averfos solet nonnunquam divina pietas ejusmodi blanditiis prævenire, & ad se allicere, & animæ adhuc inquinatæ gratiam suæ visitationis impertiri. Quod revera ut notat Aëlredus, magnum divinæ miserationis indicium est, ut non solùm terrore concutiat, sed omnia mentis claustra feris vitiorum obserata suâ penetrabilitate perficindens, fœdis adhuc labiis, quoddam suæ dulcedinis imprimat osculum, ac ineffabili suavitate suâ blandiatur avertenti, cunctantem alliciat, animet desperantem.